

## Folium. lxxviij.

opera nostra meritoria facit. et bona per peccatum obmissa restituit. atque stabulum implacitum convertit. Item per gratiam efficit anima sponsa christi filia regis eterni. et templum spiritus sancti. Item gratia purgat animam ac illuminat et perficit. Item gratia mentem elevat. deo simulat. ac spirituali solatio cibatur. **N**ota quod quibus virtus gratuita simul insit ante cum gratia non tamen habet effectum suum tam cito sicut gratia. quoniam effectus gratiae est facere gratum deo. et facere digni vitam eternam. Et hic effectus statim inest puero post baptismum. Virtutis autem effectus est elicere actum meritorium de potentia. Et hic effectus non statim inest puero post baptismum. Hoc autem non est propter defectum virtutis. sed propter impotentiam nature agentis. Puer enim non est habilis ad actus voluntarios. Unde sciendum quod triplex est perfectio. Prima est gratiae. et causat esse gratum. Secunda est virtutis. et causat esse bonum actum. Tercia est operis virtutis et causat meritum. Prima perfectio perficit animam. Secunda perficit anime potentias. Tercia perficit ipsos actus. **¶** Quid sit virtus. **¶** Captm. iiii.

**H**inc de virtutibus est agendum. et primo quid sit virtus. Virtus est. ut ait Augustinus. bona qualitas mentis qua bene vivitur. qua nullus male vitatur. qua solus deus in homine operatur. Hec definitio datur in operatione ad agentem. Item secundum Augustinum. Virtus est habitus mentis bene constitutus. Hec datur in operatione ad subiectum in quo est. Item dicit Philo. Virtus est habitus voluntatis in medietate consistens. quo ad nos terminata ratio potest sapiens determinabit. Hec definitio datur ad actum circa quem est. Item Tertullianus. Virtus est dispositio perfecta ad optimum. Hec datur secundum operationem ad finem. Item Iheronimus. Virtus est animi habitus nature decus vite rationis pietas cultus divinitatis honor hominis eterne beatitudinis meritum. Hec definitio datur in comparatione ad effectum. **¶** Diffinitio Augustini sic exponitur. Virtus est bona qualitas. Hic ponitur qualitas per genere. Bona vero dicitur ad differentiam malarum qualitatum anime. Dicitur quoque bona quoniam a bono deo datur. et bonos tamen inhabitat. et bonos facit. et ad bonum perducit. Mentis ponitur ad differentiam qualitatum que sunt in corpore. Qua bene vivitur ponitur ad differentiam qualitatum quibus recte intelligitur. sicut est scientia. Qua nullus male vitatur ponitur ad differentiam qualitatum quibus bene et male vitari possunt. Quam solus deus in homine operatur. ponitur ad differentiam virtutum cardinalium que habentur per acquisitionem. Circa aliam definitionem Augustini. Notandum quod ibi ponitur habitus mentis bene constitutus. et hoc ad similitudinem regni. quod tunc bene instituitur quando recte constituitur. et bene imperatur et iuste obediunt. Eodem modo bene instituta est mens si ratio recte consistit si voluntas bene imperatur. et si sensualitas debito modo obtemperat. **¶** Etymologia virtutis est hec. Virtus enim dicitur quoniam vis intus. Et hec vis consistit in aggressionem arduorum et in tolerantia aduersorum.